

omnia evincant, arctiorem sensum postulare Ecclesiae vocem, eo quod de potestate agatur atque doctrina, nullum potest dubium esse, quin ad sacerdotalem coetum designandum eam Tridentini Patres acceperint. Hinc apposite rursus Gersonius scribebat: « *Ecclesia contracte sumitur, dum loquimur hic de potestate ecclesiastica, pro illis videlicet, qui speciali quodam signaculo dedicati sunt ad divinum servitium* (89). » Atque hoc eodem sensu adhibetur a conc. Tridentino sess. XIII. can. 9. sess. XIV. can. 15. sess. XXI. cap. 2. sess. XXII. cap. 5. et 6. et in hac ipsa sess. XXIV. can. 7. 8. e 9. Quinimo eodem hoc sensu vel ab ipso Luthero, uti ostendimus, adhibitum Ecclesiae nomen est, cum eidem denegat potestatem constituendi impedimenta matrimonium dirimentia (90).

Ex eo vero, quod nulla hac de re excitata fuerit quaestio, eo melius ostenditur ignotum fuisse tunc temporis Launoii commentum, ac novum prorsus, adeoque falsum esse hoc eius effugium.

ARTICULUS. IV. — Canones Tridentini III. et IV. sess. XXIV. de potestate propria ac originali Ecclesiae intelligi debent, non autem de potestate adventitia, quae ex principum sive expresso sive tacito consensu proveniat.

Nonnisi pauci theologi, aut canonistae cum Launoio eo devenerunt, ut Ecclesiam de *usurpato* principum iure incusarent, dum sibi ius tribuit circa impedimenta matrimonium dirimentia (91). Plerique neoterici contenti fuerunt affirmare, concilium Tridentinum in memoratis canonibus locutum fuisse de potestate Ecclesiae, at ea non insita, sed adscita ex principum expressa aut tacita consensione, quatenus pro sua erga Ecclesiam pietate ac favore a pluribus seculis exercitium huius potestatis Ecclesiae concesserunt aut permiserunt (92). Ex quo principio nonnulli

(89) In *Considerat. I. De potestate ecclesiastica* tom. I. col. 227.

(90) Cf. *Deodatum Defensio Tridentin. canon cap. I. §. 5.*

(91) Attamen paucis ab hinc annis, nempe an. 1852. non defuerunt, qui inverecunde assererent, potestatem, de qua agimus, fuisse *usurpationem* Ecclesiae medio aevo. Ita in comitiis Subalpinis. Ved. *Il parlamento-Senato regio.* p. 189.

(92) Primus, quod sciam, qui affirmaverit principes christianos pro sua erga Ecclesiam pietate, eidem aut potestatem aut potestatis exercitium circa im-

intulerunt, posse principes suam hanc concessionem revocare, praesertim cum agatur de iure, ut ipsi loquuntur, *maiestatico* atque idecirco inalienabili, utpote quod principatui ipsi inhaereat (93). Iniuriosam, immo vero blasphemam Launoii semi-lutherani hominis criminationem dimittentes, nos hic caeterorum tantum refellemus sententiam, argumentis petitis ex pontificia auctoritate, ex concilii ipsius Tridentini mente in his canonibus edendis; ex falsitate eorundem canonum in adversariorum hypothesi; atque ex adiunctis. Hoc pacto, non dicam gratuitam ac falsam, sed plane erroneam et haereticalem esse eiusmodi doctrinam apertissime ostendemus (94).

I. Ac primo ex auctoritate. Cum enim archiepiscopus Trevisensis certiores fecisset per litteras suas Pium VI. de nonnullorum recentium pseudo-politicorum et canonistarum sententia, quod Ecclesia ex principum indulgentia, non autem ex propria ac originaria auctoritate constituerit impedimenta matrimonium dirimentia, summus pontifex pro munere suo his verbis ad eum rescripsit: « Auctoritatem sane constituendi matrimonialia » impedimenta penes Ecclesiam esse, dubitari nullo modo a » catholicis potest, *cum id defuerit*, Tridentinum concilium » sess. XXIV. can. IV. *Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse » etc.* ex quo catholici doctores, illi etiam, qui plurimum laicae » potestati favent ac tribuunt, minime dubitarunt agnoscere » Ecclesiae eam auctoritatem a Christo Domino esse datam, impedimenta connubialia cessisse, fuit Petrus Soto, qui in op. cit. *De institut. sacerdotum* lec. IV. postquam etiam principibus ius adscripsit constituendi impedimenta, subdit circa finem « Quamquam civiles leges in his omnibus » *ex pietate* certe et voluntate principum facile cesserint Ecclesiae, ut iam nulum censeatur matrimonium illegitimum, quod Ecclesia tale non iudicat. » Caeteri deinde eum exscribunt ac sequuntur.

(93) Prout passim loquuntur theologi et canonistae, qui non ita pridem in Germania et Austria potissimum pro principum hac in re potestate steterunt.

(94) Cf. Diodati *Nuova difesa dei canoni* III. e IV. della sess. XXIV. del concilio di Trento. Gerapoli 1788. Auctor est pseudonymus ac pseudonyma Hierapolis ubi primum haec defensio excusa est; vix enim ea aetate fas erat quibusdam in locis huiusmodi operibus proprium nomen apponere. Cf. etiam card. Gerdilium *Trattato del matrimonio* part. II. §. VI his enim ducibus potissimum utemur.



» samque illa a primis seculis ad haec usque tempora usam fu-  
 » isse. . . . Hinc tanto magis efficitur , ab Ecclesia *proprio iure*  
 » constituta esse impedimenta planeque locum eripi cavillationi,  
 » qua quidam Tridentinae synodi definitionem eludere contendunt,  
 » cum dicunt , concilium non definivisse, utrum haec auctoritas  
 » ex Christi institutione, an ex principum indulgentia tacita vel  
 » expressa in Ecclesiam manaverit (95). Quoniam cum ea apostoli  
 » sancirent , quae ad fidelium coniugia pertinerent , eorumque  
 » proximi successores, certe illam non ex hac indulgentia tenuisse  
 » dicendi sunt, sed usi eadem cum fuerint, non nisi a Christo una  
 » cum clavibus ipsam se recepisse iudicarunt. Quod si a Domino  
 » non recepissent , profecto in ea sibi tribuenda errassent , ac  
 » in legitima principatus iura invassissent. Id quam sit absur-  
 » dum quisque facile intelliget. »

« Notum est etiam , pergit summus pontifex , quod can. III.  
 » eiusdem sess. XXIV. definitum est , posse Ecclesiam consti-  
 » tuere ut plures gradus impediunt ac dirimant. Cum ergo nullo  
 » unquam tempore dogma fidei falsum esse potuerit aut esse  
 » possit ; necesse est , ut ab Ecclesiae origine et omni anteacto  
 » tempore verum fuerit, et omni consequenti aetate verum futu-  
 » rum sit , Ecclesiam ea , quae in concilio asseritur , potestate  
 » pollere. At si tacita saltem principum requireretur ad eam  
 » habendam potestatem concessio, sequeretur illud primis Eccle-  
 » siae temporibus , sub principibus nimirum ethnicis , verum

(95) Inter quos recensetur Zegerus Van-Espen qui in op. *Ius canonicum*  
 tom. I. tit. XVII. c. 7. §. XII. scribit : « Concilium (Tridentinum) non definit ,  
 » utrum ex Christi institutione , vel utrum ex principum indulgentia tacita vel  
 » expressa haec auctoritas inducendi impedimenta dirimentia Ecclesiae compe-  
 » tat. » Ast non ex propria sed ex aliorum potius sententia Van-Espenium haec  
 » protulisse certum videtur ex iis quae idem auctor ibid. Scripsit §. XVI.  
 » Quidquid sit (de aliorum sententiis) hoc constat iam a pluribus seculis Eccle-  
 » siam , et quidem *privative et cum exclusione principum secularium*, impedi-  
 » menta dirimentia inter catholicos ordinasse » Quod cum adductis documentis  
 » ostendisset, concludit §. XX. iure Tridentinam synodum definivisse, Ecclesiam  
 » potuisse et posse constituere impedimenta. Cuius verba postea afferemus.  
 » Itaque nimis festinanter Tamburinius ac Nestius illam sententiam Van-Espenio  
 » tribuerunt.

» esse non potuisse, neque hoc tempore verum esse posse iis in  
 » locis, in quibus Christi fideles degunt sub infidelium domina-  
 » tione ; et si ob aliquam, ut vocant, rationem Status, principes  
 » revocata ea , quae obtenditur , indulgentia et concessione ,  
 » abrogare sancita ab Ecclesia impedimenta valerent, fieri posset,  
 » ut verum esse desineret, quod a Tridentino definitum est, idque  
 » portenti existeret , ut aliquando dicendum foret , Ecclesiam  
 » non posse , quod Ecclesiam posse Spiritus sanctus oecumeni-  
 » cae synodi oraculo declaravit (96). »

Hactenus quidem Pius VI. in litteris datis an. 1782. hac  
 super re, qui deinde in Constitutione dogmatica *Auctorem fidei*  
 edita an. 1794. adversus pseudo-synodum Pistoriensem , quae  
 eandem de adventitia Ecclesiae auctoritate doctrinam adoptavit  
 insequentes propositiones confixit: LX. « Doctrina synodi asse-  
 » rens, *ad supremam civilem potestatem dumtaxat originarie*  
 » *spectare contractui matrimonii apponere impedimenta eius ge-*  
 » *neris, quae ipsum nullum reddant, dicunturque dirimentia ;*  
 » *quod eius originarium, praeterea dicitur cum iure dispen-*  
 » *sandi essentialiter connexum, subiungens, supposito assensu,*  
 » *vel conniventia principum potuisse Ecclesiam iuste constituere*  
 » *impedimenta dirimentia ipsum contractum matrimonii. Quasi*  
 » Ecclesia non semper potuerit, ac possit in christianorum matri-  
 » moniis *iure proprio* impedimenta constituere, quae matrimo-  
 » nium non solum impediunt, sed et nullum reddant quoad vin-  
 » culum , quibus christiani obstricti teneantur , etiam in terris  
 » infidelium , in eisdemque dispensare. *Canonum 3. 4. 9. 12.*  
 » sess. 24. *Concilii Tridentini eversiva, haeretica.* » Prop. LXI.  
 » « Item rogatio synodi ad potestatem civilem, ut *e numero impe-*  
 » *dimentorum tollat cognitionem spiritualem...* tum ut *restringat*  
 » *impedimentum affinitatis etc.* - Quatenus civili potestati ius  
 » attribuit sive abolendi, sive restringendi impedimenta Ecclesiae  
 » auctoritate constituta vel comprobata : item qua parte supponit  
 » Ecclesiam per potestatem civilem spoliari posse *iure suo* dispen-

(96) Breve Pii VII quod incipit: *Post factum tibi*. Ad archiep. electorem  
 Trevirens. die. 2. Feb. 1782.



» sandi super impedimentis ab ipsa constitutis vel comprobatis,  
 » — libertati ac potestati Ecclesiae subversiva, *Tridentino contra-*  
 » *ria, ex haereticali supra damnato principio profecta.*»

Cumque his damnatis propositionibus non obstantibus, Nepomucenus Nuytz eandem doctrinam renovaverit, iterum Pius IX. eam proscripsit ita se habentem : « Ecclesiam non habere  
 » potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi,  
 » sed eam civili potestati competere, a qua impedimenta existen-  
 » tia tollenda sint (97). » Item in ea parte, qua idem auctor affirmat,  
 » « Ecclesiam sequioribus seculis dirimentia impedimenta  
 » inducere coepisse non iure proprio sed illo iure usam, quod a  
 » civili potestate mutuata erat ; Tridentinos canones ( sess. 24.  
 » De matrim. c. 3. et 4.) qui anathematis censuram illis inferunt,  
 » qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiae  
 » negare audeant, vel non esse dogmaticos, vel de mutuata  
 » potestate esse intelligendos (98). »

Caeteris igitur omissis, quae ex auctoritate etiam gravium theologorum adduci possent (99), exploratum est sententiam adversariorum contrariam omnino esse Rom. pontificum auctoritati, a quibus eiusmodi doctrina uti *haeretica* proscripita est ; adeoque a nullo catholico defendi potest.

II. Non minus luculenter eadem adstruitur veritas spectata ipsius Tridentini concilii mente, quae patefit :

(97) *Damnatio et prohibitio operis cui titulus Iuris ecclesiastici etc.* Io. Nepomuceni Nuytz.

(98) *Ibid.* Mirum vero est in universitate catholica, et ab auctore catholico post solemne adeo iudicium latum in dogmatica constitutione adversus pseudosynodum Pistoriensem, potuisse eiusmodi doctrinam publice in scholis tradi, propinari iuventuti, ac publicis typis committi, et quidem aetate hac nostra, in qua omnino ea antiquata ac oblitterata videbatur penes omnes.

(99) Inter quos nominatim sunt Natal, Alexander *Theol. dogmat. et moral.* lib. II. c. IV. art. 1. qui aperte statuit propositionem. « Ecclesiam potuisse ac » posse constituere impedimenta matrimonium dirimentia *dogma fidei est.* » Drouin *De re sacramentaria* lib. IX. quaest. VI. cap. I. §. 1. qui pariter adstruit « *tanquam dogma fidei* in concilio Tridentino nova definitione contra » Lutheri temeritatem assertum. » Ambo doctores Sorbonici adversus Lanoium. Quibus addi debet Estius *Comment.* in lib. IV. sent. XXXIV. §. 1.

I. Ex fine, quem sibi praestituit, asserendae veritatis catholicae adversus Lutherum caeterosque illius temporis *haereses et errores.* Iam vero Lutherus ne suspicatus quidem erat, potestatem constituendi impedimenta matrimonialia fuisse in Ecclesia adscitiam, atque originario iure ad principes laicos spectare ; alioquin absque dubio pro furore, quo agebatur adversus apostolicam Sedem, hortatus principes christianos fuisset ad revocandam, sibi que vindicandam potestatem illam, qua adeo tyrannice, iuxta ipsum, Rom. pontifex abutebatur.

2. Patefit ex eo, quod concilium *in Spiritu Sancto congregatum* nunquam sollicitum sit de adstruenda in adversariorum sensu dogmatice principum secularium potestate, seu potestate sibi extranea, sed de ea tantummodo, quam ex *divina revelatione* se accepisse novit. Eiusmodi autem est potestas ecclesiastica, seu Ecclesiae ministris a Christo data ; non potuit igitur Tridentina synodus in binis recitatis canonibus loqui nisi de Ecclesiae *propria* potestate, eamque dogmatice definire.

3. Patefit ex usu, quem eiusdem potestatis fecit concilium tanquam sibi propriae in hac ipsa sessione ; ut enim paulo ante animadvertimus, in Decreto de reformatione legitur : « Ta-  
 » metsi dubitandum non est, clandestina matrimonia libero  
 » contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia,  
 » quamdiu *Ecclesia* irrita non fecit.... Qui aliter quam praesen-  
 » te paroco, vel alio sacerdote de ipsius parochi seu ordinarii  
 » licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contra-  
 » here attentabunt, eos *sancta synodus* ad sic contrahendum  
 » inhabiles reddit, et huius modi contractus irritos et nullos  
 » esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et an-  
 » nullat. » Porro nemo negaverit hoc in decreto Ecclesiae nomine ecclesiasticam hierarchiam seu sacerdotalem coetum designari, qui potestatem suam exercens novum dirimens impedimentum constituit. At vero potestas, qua usa est Ecclesia in reformationis decreto, eadem est illa potestas, quam in canonibus definivit. Cum itaque in decreto evidenter fiat sermo de potestate non quidem adscita atque adventitia, sed originaria ac



propria, manifestum fit in canonibus III et IV. de propria, nativa atque originaria potestate pariter concilium fuisse locutum.

III. Praeterea, data adversariorum hypothese, falsitati obnoxia foret dogmatica definitio Tridentina, immo et aperte falsa. Etenim si esset adventitia Ecclesiae potestas in constituendis impedimentis connubialibus, seu proveniens ex principum conniventia ex tacito seu expresso eorum consensu; quemadmodum eam principes Ecclesiae communicarunt, sic possent eodem iure revocare, poscentibus praesertim rerum adiunctis. Porro hac in hypothese, iam falsa omnino foret Tridentina definitio, quod Ecclesia potuerit et possit statuere eiusmodi impedimenta.

Si aliquis imperans pergeret hanc potestatem concedere, alter vero eam recusaret Ecclesiae; in regionibus, in quibus summus imperans eam adhuc concederet, sua veritas canonibus Tridentinis consisteret, in caeteris vero, in quibus denegaretur, non item; adeoque vera aut falsa esset pro locorum ratione haec dogmatica definitio.

Demum falsa prorsus dogmatica eiusmodi definitio fuisset quoad tria priora Ecclesiae secula, et falsa adhuc foret in illis omnibus regnis ac provinciis in quibus principes infideles, haeretici aut schismatici dominantur; cum hi profecto facultatem istam Ecclesiae nulla velint ratione concedere; quin potius, si possent, eidem illam eripere summopere contenderent.

Absonum porro est vel cogitare, veritatem dogmaticae definitionis, quae nempe divinae revelatae doctrinae innititur ac infallibili Spiritus Sancti adsistentia ac numine ex principiis catholicis emissa est, pendere a tempore, loco, personisque, eique posse falsum subesse. Fatendum est igitur absonam, absurdam, fideique catholicae contrariam illorum esse doctrinam, qui contendunt Tridentinos canones intelligi posse, immo et debere de potestate Ecclesiae adventitia, quaeque ex principum conniventia ac favore proveniat.

IV. Cuncta demum rerum adiuncta commentitium plane

eiusmodi placitum excludunt. Siquidem cum Tridentinae synodo interfuerint principum oratores oculatissimi, quique summo studio cavebant, ne minimum quid derogaretur principum suorum iuribus, aut ea viderentur laedi, profecto illico insurrexissent, fuissentque protestati contra propositos canones, si deprehendissent ac etiam suspicati solum fuissent, ita illos ambigue constitui, ut principum originarium ius aut excludi, aut in dubium revocari videretur. Nunquam enim fuissent passi, ut ita adstrueretur et quidem dogmatice Ecclesiae potestas in dirimentibus impedimentis matrimonii constituendis, si istiusmodi potestas non esset ei nisi adventitia ex suorum principum indulgentia; atque exegissent proculdubio, ut in redigenda eorundem canonum formula fieret expressa mentio de originaria imperatoris, regum, caeterorumque principum potestate: ut patet ex constanti eiusmodi aulicorum agendi ratione, qui de iuribus principum magis se sollicitos ostendere consueverunt, quam principes ipsi. Atqui tamen ex tot oratoribus in concilio ne unus quidem extitit, qui vel mussitaret aut hisceret; quod argumento est ineluctabili, nondum eo tempore in aulicorum ac politicorum mentem subisse sententiam nostrorum neotericorum de potestate Ecclesiae adventitia in constituendis impedimentis connubia christiana dirimentibus.

At quoniam adversarii tam praefidenter affirmant, potestatem hanc Ecclesiae adventitiam esse ex principum concessione, aedum adiuncta rei, temporis, loci, ac personarum inquiremus: proferant quo loco, quove tempore, et quibusnam principibus aut annuentibus aut conniventibus Ecclesia incoeperit hac uti potestate. Provocati saepius adversarii, ut edicerent, quandonam et a quibus principibus pro sua eximia pietate ac liberalitate tanti momenti concessio facta Ecclesiae fuerit, nil definitum certumque responderunt, nec respondere unquam poterunt. Quandoquidem ea concessio locum non habuit, quum piissimi principes imperium regerent, Constantinus Magnus, Valentinianus I. Theodosius senior, eiusque filii Arcadius et Honorius, deinde vero Valentinianus III. Gratianus, Marcianus,



aliqui pii et catholici imperatores : nam iuxta adversarios principes isti auctoritate sua impedimenta dirimentia constituerunt : neque ea cessio locum habuit sequioribus seculis, sive quum Pipinus, Carolus M., Ludovicus Pius, sive quum Gothi, Longobardive imperarent; siquidem iuxta adversarios huiusce temporis principes iuris sui prorsus tenaces in suis codicibus impedimenta dirimentia pariter constituerunt.

Restat igitur ut tanta in Ecclesiam pietas ac liberalitas maxime emicuerit cum iurgia atque dissidia atrocia diuturna que tum ob alia, tum etiam ob causas matrimoniales inter sacerdotium et imperium exarserunt, sub Philippo Augusto, Philippo Pulchro, Lothario, Ludovico Bavaro aliisque huiusmodi. Ecquis autem talia feret absurda ?

Deinde, vel singillatim singuli, vel omnes simul principes consensione facta ius constituendi impedimenta dirimentia Ecclesiae ac potestatem contulissent. At neutrum dici potest; non primum, scilicet singulos contulisse, alioquin illorum nomina cognosceremus, Romanique pontifices et concilia pro tali tantaque liberalitate grati animi significationem illis exhibuissent; non alterum, seu non omnes simul; quum ad instar miraculi huiusmodi conspiratio atque consensio haberi deberet, quum potius experientia diuturna patefecerit, principes seculares tentasse non raro in iura ecclesiastica invadere et Ecclesiae libertatem contra ius coercere, non autem de propriis iuribus Ecclesiae aliquando liberaliter ac facile aliquid concedere: imo, ut verbo dicam, principes ut plurimum Ecclesiae liberaliter cesserunt, quod eidem eripere non potuerunt (100). At-

(100) Apposite Guilielmus Durandus iunior, episcopus Mimatensis, in tractatu *De modo generalis concilii celebrandi*, iussu Clementis V. edito, de potestatibus secularibus agens part. II. tit. 70. scribit: « Quasi per quamdam alluvionem frustatim Domini temporales ad se omnia trahunt. Et sicut frustatim » lupus agnum comedit, ita et per ipsos iurisdictio ecclesiastica frustatim » quodammodo devoratur; quidquid ad ecclesiasticam iurisditionem, potissime quod ad temporalia pertinet, sibi competere putantes. Et pauci sunt » casus ad Ecclesiam pertinentes, in quibus directe vel indirecte per eos » ecclesiastica iurisdictio non turbetur in diversis mundi partibus, nec iam

tamen si adversarios audias, principes pro sua erga Ecclesiam pietate a pluribus saeculis ante concilium Tridentinum totum matrimonialis potestatis exercitium dimiserant! Hinc contendunt, hoc tantum sensu Patres Tridentinos suis canonibus Ecclesiae potestatem vindicasse, vel certe nullatenus significasse an ea potestas, quae in canonibus asseritur, originaria sit atque Ecclesiae insita, an vero adscita ex expressa tacite principum concessione. At quam absurde obvium canonum sensum contorqueant ex hactenus dictis abunde patet.

Ast praestat, antequam huic articulo finem ponamus, expendere vim illius formulae omnium aulicorum ac regalistarum non ita pridem ore tritae, *de expressa vel tacita principum consensione* Ecclesiam statuisse impedimenta matrimonium dirimentia; adeoque illa supposita consensione concilium Tridentinum definiisse in memoratis canonibus Ecclesiam *potuisse* ac *posse* illa constituere. Vix legas auctorem aliquem superioris seculi ex iis, qui principum causam hac in re susceperunt patrocinandam, in quo eam phrasim, seu formulam non offendas *de expressa vel tacita principum consensione*. Siquidem receptum est, ut cum quis formulam ad finem aliquem idoneam invenerit, illico a scriptorum vulgo ea arripiatur, et quin eius valorem perpenderit atque ad trutinam revocaverint, alter ab altero eam exscribat ac repetat veluti axioma inconcussum.

Igitur pervulgata eiusmodi formula non est nisi pallium ad tegendam honestius turpitudinem alterius formulae quam primus adscivit Launoius, dum potestatem, de qua loquimur, vocavit audacissime *Ecclesiae usurpationem* (101). Cum vero nimium in ore catholici scriptoris *usurpationis* vox aures percelleret, mitiorem formulam substituerunt *taciti vel expressi principum consensus*. Verum res eodem recidit, neque minus iniuriosa

» constituta remedia proficere possunt, sicut experientia docet. » Post haec, longum atxuit catalogum casuum in quibus seculares potestates iam aetate sua iura ecclesiastica sibi adscribebant. Venet. 1661. vol. un. in-8. pag. 153 seqq.

(101) In op. cit. *De regia etc.* Cf. Deotatum op cit. *Defensio etc.* cap. V. §. 1.



Ecclesiae est, quam altera. Quod ut evincamus, satis est intimius istius formulae virtutem rimari ex adversariorum mente.

Nam cum intellexerint, se nulla prorsus ratione posse neque ex diplomate aliquo, non dicam omnium, sed ne unius quidem imperantis seu principis, neque ex actis aut Rom. pontificum aut conciliorum, sive historicis documentis ostendere, principes hanc cessionem Ecclesiae fecisse suae potestatis in matrimoniis dirimendis, aut etiam eiusdem exercitii, hinc se receperunt ad disiunctivam consensus *sive* expressi, *sive* taciti. Ast cum certum sit principes illam cessionem non fecisse consensione *expressa* reliquum est ut in istorum hypothesi consensio fuerit *tacita*. Quid porro importat seu significat *tacita* consensio? Nihil aliud, quam silentium illius, qui loqui posset ac deberet, si quid ipse nollet fieri, quod ab aliquo fit. Duo igitur consensus ille tacitus flagitat, nempe auctoritatem in eo, qui silet, et alterius actionem, quae fieri legitime non posset sine illius auctoritate (102). Ex qua notione patet, eos, qui urgent consensionem tacitam, tanquam probatum ac certum assumere, principes polere potestate originaria ac propria statuendi impedimenta matrimonialia, atque Ecclesiam eadem hac potestate penitus esse destitutam. Assumunt praeterea, Ecclesiam coepisse veluti clanculum ac furtive sensimque sine sensu eandem potestatem ad se trahere suamque facere, confisam principum aut indolentia in propriis iuribus vindicandis, aut suorum iurium ignoratione. Nisi enim alterutrum supponatur, locum habere nequit tacitus eiusmodi consensus. Ex his primum est iniuriosum principibus, perinde ac si omnes fuerint incuriosi, ignorantes aut plumbei, ita ut sub oculis suis paterentur tanti momenti iura sibi eripi ac eludi, quin cognoscerent aut adverterent. Alterum est summo iure iniuriosum Ecclesiae, quasi nempe ipsa calliditate ac fraudulentia usa fuerit ad aliena iura sibi vindicanda.

Quid vero esset callida haec ac fraudulenta Ecclesiae agendi ratio, nisi pura putaque usurpatio, qualem conceptis

(102) Cf. Deodatum *Defensio Trident. canon.* Hierapoli 1786. cap. V. §. IV.

verbis eam vocaverat Launoius? Merito propterea diximus, formulam hanc, penes neotericos regalistas vulgatam, esse substitutionem ad mitigandum horrorem, quem prior formula animis catholicis ingerebat, re autem unum idemque significare.

Sane quod adversarii sub hoc verborum involuero ac tegumento veram ex parte Ecclesiae alienorum iurium usurpationem significare intendant, patefit ex eo, quod omnes istiusmodi scriptores originem repetant potestatis, aut exercitii saltem, quod Ecclesia in matrimonia sibi tribuit, ab epocha illius tenebricosi medii aevi, quando ignorantia ac sopor universalis omnes mortales occupabat. Nam licet inter se non conveniant in determinando definiendoque praecise tempore, quo Ecclesia ita agere coeperit, cum alii sec. XI. alii sec. VIII. alii alio contigisse confingant; tamen plerique consentiunt id coepisse ex quo pseudo-Isidorianae epistolae vulgatae sunt. Inter hos Nestius veritus non est affirmare, his falsis decretalibus innixos Tridentinos Patres canones, de quibus agimus, edidisse (103). Quasi nempe 1. Ecclesia potuerit dogmaticas dare definitiones, quae non inniterentur divinae revelationi; 2. compertum non fuerit apud eruditos vel ante ipsius concilii celebrationem illam collectionem fuisse supposititiam (104); 3. non constiterit, longe ante quam illa collectio ederetur, Ecclesiam constituisse impedimenta matrimonium dirimentia; 4. notum non sit apud eruditos illas epistolas nihil innovasse circa fidem, immo neque circa disciplinam, sed sub falsis epigraphis veterem, aut saltem illa aetate, qua confecta illarum collectio est, receptam prae se

(103) Th. Nestii Pistoriensis *De dirimentibus matrimon. impedimentis liber singularis.* Neapoli 1786. cap. IX. pag. 77. « Cum tamen illud, inquit (supremum ius) ex adulterinis Evaristi, Fabiani, ac Callisti decretis, quae tunc temporis (concilii Tridentini) vera sinceraque habebantur proflexerit... » perspicui aptissime potest, Tridentinam illam definitionem, quippe quae commentitiis falsisque principiis ac fundamentis continetur etc. »

(104) Longe ante celebrationem concilii Trid. falsitatis accusaverant epistolas Isidorianas card. Cusamus, Henr. Kalthesienius, card. Turrecremata, Erasmus, Io. Diedo, Claud. Espencaeus, Didacus Covaruvias, Ant. Contius, Io. Carol. Bovius Ostunensis episcopus, aliique passim.



ferre (105) : ut alia omittam, quae absurdam Nestii, Tamburini aliorumque eiusmodi auctorum hypothesim excludunt. Verum, nobis hic satis sit ostendisse, quod proposuimus, de vi formulae *expressae aut tacitae principum consensionis* circa Ecclesiae potestatem.

## CAPUT III.

De Ecclesiae potestate dispensandi in impedimentis matrimonium dirimentibus.

ARTICULUS I. — Romanus Pontifex pro suprema, qua pollet, auctoritate in Ecclesia, dispensare potest in ecclesiasticis impedimentis Matrimonium dirimentibus.

Mirari nemo debet si adstruimus Romano pontifici potestatem relaxandi impedimenta dirimentia, etsi Tridentinum concilium Ecclesiae potius quam Romani pontificis nomine utatur, dum agit de huiusmodi potestate (1). Nam concilium per Ecclesiam eos significat, qui Ecclesiam regunt, in eamque potestatem habent, tales vero sunt Rom. pontifex et concilium Oecumenicum, quia in iis est illius potestatis plenitudo. Quod igitur praestare potest ac efficere Ecclesia, id ipsum potest tum oecumenicum concilium, tum summus pontifex. Probatur autem superius est posse Ecclesiam impedimenta dirimentia constituere; ergo eadem impedimenta potest Ecclesia relaxare; adeoque id ipsum potest tum oecumenicum concilium, tum Rom. pontifex, qui suprema in Ecclesia potestate fruitur. Ideo vero de solo Romano pontifice singillatim agemus, quia cum hic sermo sit de exercitio iugi potestatis, neque concilium Oecumenicum possit esse permanens, ad removenda constituta impedimenta cum opus fuerit, nulla erat ratio quare de eo dissereremus.

(105) Cf. Petr. De Marca in *Concordia* lib. III. c. 5. n. 1. Nat. Alex. Diss. XXI. in sec. I. Hist. eccl., viros non suspectos. Sed praecipue Ballerinos in op. S. Leonis M.

(1) Sess. XXIV. can. III.

Dum autem Rom. pontifici asserimus eiusmodi potestatem *pro suprema eius in Ecclesia auctoritate*, hoc ipso liquet nos hanc illi potestatem vindicare in sensu, ut vocant *exclusivo*, quae scilicet nemini alii praeterea communis sit, prout nemini alii communis est suprema potestas, qua solus, uti Ecclesiae caput et supremus hierarcha, Rom. pontifex pollet.

Efficimus porro, quod proposuimus, non modo ex factis atque a posteriori, sed etiam ex rei natura, atque a priori. Si enim semel constiterit, ius istud dispensandi primatus auctoritati inhaerere, qua Rom. pontifices divino iure gaudent in Ecclesia universa, etiamsi ob peculiaris rerum adiuncta aut vigentem disciplinam nullum huius potestatis exercitium reperiremus, non idcirco dubium esse poterit, utrum pontifices id praestare potuerint, si occasio aut necessitas id tulisset, et iure praestiterint cum eam potestatem exercere opportunum existimaverint. Quam accommoda sit haec animadversio ex dicendis planum fiet.

Itaque ut iam ab argumentis in ipsa re insitis exordiamur, ea multiplice ex capite peti possunt. Siquidem exploratum principium in primis est, atque ab omnibus receptum, eadem potestate legi alicui derogari, qua est sancita; cum proinde ab Ecclesia, et quidem auctoritate propria, suprema atque independente constituta fuerint impedimenta christianorum coniugia dirimentia, hoc ipso constat, eandem Ecclesiam posse illis derogare, seu ea remove ac relaxare. Cum vero suprema Ecclesiae potestas in summo pontifice resideat, iam patet posse Rom. pontificem, quemadmodum impedimenta constituere, ita et remove, seu in iis dispensare.

Praeterea, catholici omnes uno ore fatentur, Christum in B. Petro apostolorum principe contulisse Rom. pontificibus eius successoribus potestatis plenitudinem in Ecclesiae bonum atque utilitatem. Quocirca si necessitas aut utilitas postulet, ut in aliquo particulari casu Rom. pontifex dispense in aliquo impedimento canonico, nullum potest subesse dubium, quin ipse hoc praestare valeat.